



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Dispvt. CXXXVI. An Deo recte tribuantur nomina concreta, & abstracta, &
rationes ipsis significatæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

tam communia secundum rem, quam prædicatione, & vniuersalitate, non sunt notiones, vel distinctæ non sunt à particularibus, sicut producere & generare, non sunt duæ notiones, quia altera ratio est communis prædicatione, altera particularis, quæ communem in se continet.

*Dub. circa
rationem
S. Thomæ.*

*Responsio
Caiet. &
Canar.*

Tertio videndum est, quomodo probet sanctus Thomas duplicem esse in patre relationem, quia refertur ad duplicem terminum, & in vnoquoque illorum sit sua relatio: refertur enim ad Filium, & Spiritum sanctum. Ratio vero dubitandi est, quia videtur, vnicam relationem referri posse ad duos terminos, sicut idem pater eadē paternitatis relatione respicit plures filios. Respondent Caietanus & Canariensis in hunc articulum, relatiuum referri posse vnicam relationem ad duas relationes, specie etiam differentes, nemum solo numero distinctas, quando illæ partiales sunt: appellant autem relationes partiales quādo earum fundamenta vt partes concurrunt ad producendum eundem numero effectum, qualia sunt fundamenta paternitatis, & maternitatis, ad eundem filium generandum: quare censent eadem specie filiatione filium referri ad patrem & matrem: quia vero in diuinis filiatione, & processio sunt relationes totales, ideo patet duplici relatione referri, altera ad filium, altera ad Spiritum sanctum. In hunc sensum interpretantur Aristot. 5. metaphysicæ cap. 15. cum ait idem non posse bis referri, hoc est, non posse eandem relationem ad duos terminos referri specie differentes, nisi partiales sint.

*Eorū sententia
refellitur.*

Refellitur.

Refellitur.

*Ratio S.
Thomæ expli-
catur.*

Horum tamen sententia mihi non probatur. Et primo quia verba Aristotelis eo capite perperam explicant prædicti doctores: ibi enim solum contendit Aristoteles monstrare, non posse relatiuum referri ad terminum, etiam relatiuum, sed ad absolutum; in his saltem, in quibus alterum extremum solum extrinseca denominatione refertur, vt visibile: probat igitur ibi Aristotel. visum non referri ad visibile: an vero idem dicendum sit de alijs relatiuis generibus, obiter videbimus disputatione 106. capit. 6. expositione autem loci Aristotelis habes supra disputatione 104. capit. 2. Secundo licet relatio filiationis sit eadem secundum ad patrem, & matrem, tamen non videtur esse eiusdem rationis, vt aperte docuit Sanctus Thomas 3. par. quæst. 35. articulo quinto ad vltimum: aliter quidem, quam in effectu productio à multis causis eiusdem rationis, & ordinis, vt in motu naui, quam multi trahunt: hi enim eodem modo concurrunt ad eundem effectum: at pater, & mater longe diuerso modo: vnde sumitur, tertia ratio. Nam quamuis mater, & pater ita concurrant, vt vnus sine alio non possit generare, in quo assimilantur causis, quas Philosophi vocant partiales; tamen quia diuerso modo concurrunt; diuerso etiam modo respiciuntur à filio productio: sicut Deus, sol & homo generant hominem, & tamen homo genitus diuerso modo respicit vnum, quam alium. Recte igitur probauit Sanctus Thomas, in Patre duas esse relationes secundum rationem, quamuis sit eadem secundum rem quia diuerso modo producit Filium, & Spiritum sanctum.

DISPUTATIO CXXXVI.

An deo recte tribuantur nomina concreta, & abstracta, & rationes ipsis significata.

*Distinctio concreti, & abstracti in diuinis. cap. 1.
Aliter videndum esse nominibus, & conceptionibus abstractis, quam concretis contra Præpositum & Gregorium, probatur cap. 2.*

Quæ prædicentur de nominibus. cap. 3.

CAPVT I.

Distinctio concreti & abstracti in diuinis.

CVM agendum nobis sit de notionibus, hoc est, de proprietatibus, & modis, quibus personæ dignoscuntur, & hæ in abstracto præcipue significantur, videndum est prius, quomodo in Deo abstracta, & concreta distinguantur, vt pater & paternitas, spiritor & spiratio. Autolus apud Capreolum in primum distinct. 6. & Caietanum in hunc artic. docuit in Deo quamlibet notionem abstracte significatam distinguere ex natura rei à suo concreto: probat autem hac ratione, quia vbicunque abstracta, & concreta solo modo concipiendi, & nominandi differunt: quidquid realiter de vno prædicatur, dicitur etiam de alio: sed idem realiter non dicitur de paternitate, & de Patre, quia Pater non dicitur differre se toto à filio, sicut paternitas à filiatione: est enim in patre essentia, & relatio, & essentia ex communis, nec sola ratione differunt: in paternitate vero, & filiatione nihil est vtrique commune: ergo pater, & paternitas differunt ex natura rei, de alijs concretis nihil docet, vt de Deo, & Deitate, de sapientia, & sapiente, &c.

Hæc sententia satis confutata manet disputatione 106. eadem namque ratione, qua contra Scotum probauimus, relationem & essentiam in Deo non distinguere ex natura rei, probatur etiam, concretum & abstractum non solum in notionibus, sed etiam in alijs prædicatis diuinis eo modo non differre: ideo hac probatione nunc supercedendum est. Sed contra Aureolum nota, suam etiam ratione probari, Deum & deitatem ex natura rei differre, & cetera concreta & abstracta in Deo: quia aliquid reale dicitur de vno, quod non de alio, vt constat: quod eodem modo improbandum est, Rationi vero illius eodem modo satisfaciendum est, sicut rationi, qua inter relationem, & essentiam Scotus docet distinctionem ex natura rei: cui respondimus, in illa disputatione capit. 7. sola igitur ratione differunt concretum & abstractum.

Hic tamen obseruandum est, in omni concreto, & abstracto, vt ratione nostra, vel ex diuerso modo significandi distinguatur: debere nomine vnus aliquid significari directe, & expresse, vt consequenter connotari, quod nomine alterius non significetur, vel connotetur, vt probauimus supra disputatione 121. capit. 2. si enim in nostro conceptu nihil responderet vni nomini, quod alteri non responderet: erunt procul dubio ratione illæ synonymæ, nisi differant, & definitum & definitio: vt expressum & implicitum quod hic non contingit, vt ibidem ostendimus. At concretum & abstractum in Deo non possunt esse synonyma.

synonima, quia de vno quodam prædicantur; quæ de alio dici nequaquã possunt: id vero, quod connotatur nomine concreto naturæ, vt, *Deus*, quod nomine abstracto, vt, *deitas*, non connotatur, nec significatur, est suppositum, vt disput. 156. & 157. vniuersæ de omnibus concretis naturæ probabimus; concretum autem personæ, vt pater, connotat naturam, quam in se contractam, & determinatam habet proprietatem: nomine vero abstracto paternitatis, non connotatur; hoc enim nomine solum proprietas ipsa significatur, qua natura determinari potest. Idem de omnibus concretis, & abstractis personalibus dicendum est.

CAPVT II.

Aliter vtendum esse nominibus, & conceptibus abstractis, quam concretis, contra Præposititum, & Gregor. probatur.

Præposititum antiquis Scholasticis, vt refert S. Thomas in hoc articulo, assererat pro eodem vsurpari abstracta, & concreta in diuinis: quia dicebat, paternitatem idem omnino esse cum patre, ne si aliqua esset distinctio, diuinæ simplicitati derogaretur. Huius sententiam videtur sequutus Gregor. in distinct. 26. quæst. 1. & 2. vbi docet, in Deo esse proprietates personales transitiuæ, non autem transitiuæ, hoc est, esse proprietates, quæ sint ipse personæ, sed non quæ sint personarum; verum præter has concedit proprietates transitiuæ personarum, quæ tamen complexione significantur, & solum manent in vocibus, & intellectu, nec transeant in rem conceptam. Hac ratione dicit, proprietatem Patris esse, genuisse filium, quam non vno simplici nomine, sed complexione, & pluribus vocibus significandum esse dicit, & idem in solo intellectu esse: quia complexio vocum solo intellectu fit. Addit præterea, necesse non esse hæreticis respondere nominibus abstractis, sed aut complexione illa, aut etiam concretis, sicut inquit Hieron. & August. nos docuerunt. Interrogantibus enim, quo Pater, & Filius sunt vnum? respondemus, sunt vnum in substantia, quo autem sunt plures? dicimus personis. Gregor. consentit Gabriel, in primum distinct. 18. quæst. art. 2. dubio 1. qui docet, notiones in solo nomine consistere, nec in re concepta aliquid illis assignari; adducitur autem in hanc opinionem, ne sibi videatur asserere in Deo quinque res, sicut etiam quinque dicimus esse notiones.

Horum tamen sententiam optime redarguit Sanctus Doctor in hoc articulo, & cum eo conueniunt Scholastici à nobis allegati in notationibus articuli. Licet enim in re idem satisfacere possimus hæreticis de hoc mysterio interrogantibus, viuentes concretis nominibus nonnumquam tamen necesse est, vt abstractis, & simplicibus. Vti si interroget Græcus, quo differt filius à Spiritu sancto? Respondemus inspiratione: cui interrogationi concreto nomine spiratoris, non ita possemus commodè respondere. Et quamvis satisfacere possumus complexione illa significante proprietatem, vt si diceremus, Filius differt à Spiritu sancto, quia spirat illum; tamen quia personæ & quia vtgerent nos potest hæreticus, vt dicamus id, quod differt; cogimur abstractis vocibus vti: quas nescio quidem, qua ratione Gregorius, &

Vt quæ in 1. partem Tom. II.

Præposititum concedere recusant: cum Damascenus lib. 1. de fide, cap. 11. vt ostendat quo differant personæ, & quo conueniant, abstractis nominibus vtatur his verbis. *Vnum quippe Deum cognoscimus, in solis autem proprietatibus, nimirum paternitatis, filiationis, & processionis discrimen aduertimus, id quod proxime complexis etiam vocibus significaretur, eisdem nominibus vsus est eodem libro cap. 9. Hylarius quoque lib. 4. & 9. de Trinitate passim vtitur nomine abstracto in nascibilitatis, cui opponit natiuitatem; quibus adde Basil. lib. 1. contra Eunomium, & lib. 4. cap. 2. Nazianzenus etiam Oracione 39. quæ est in sancta lumina post illa verba, Pater, pater est, vtitur nomine filiationis, & post aliqua subdit; Licet enim perspicuitatis causa noua nomina fingere. Conuenit cum his omnibus Augustin. lib. 5. de Trinitate, cap. 6. vt in expositione articuli vidimus, qui notiones eodem modo in diuinis concedit: Nam tametsi per notionem ipse intelligat modum cognoscendi personam, eamque ab aliqua alia distinguendi, ex hoc tamen genere notionis colligitur etiam notio, quod Scholastici ponunt in Deo, quæ est ratio cognita de aliqua personæ, & ex diuerso modo cognitionis, quo cognoscuntur personæ colliguntur diuersæ rationes cognitæ in personis, per quas intelliguntur inuicem distinctæ. Eodem etiam modo Basil. Epistola 43. notiones aperte adstruit, agens enim de distinctione vnus suppositi ab alio, inquit: *Quas autem is fuerit propriis illis notionibus designat.* Notionum vero nomine non cognitiones, quas de personæ habemus, sed varias proprietates illius intelligit. Et paulo infra de personarum diuinarum distinctione loquitur hoc modo. *Increatum, aut omnem comprehensionem excellens, aut si quid aliud est huiusmodi ad proprietatis determinationem non vsurpabimus, sed hoc solum inquiramus, quæ per singularem personarum intellectus liquido, & sine commixtione à comuni consideratione separatur.* Et lib. 2. contra Eunomium non multum à fine appellat has notiones formas proprias personarum, notas, & Characteres: Nyssenus, quoque in libello de differentia vtrius, & hypostasis, sæpius repetit, in Deo esse proprietates personales, quibus distinguuntur personæ, nec vilo modo communicant. Et quamuis hi Patres non vtantur abstractis, cum tamen illis vtatur Damascenus, immerito Gregorius vsum illorum improbavit. Re&e igitur Alexander 1. parte quæst. 68. membro 3. & S. Thomas in hoc articulo dixerunt. *Essentia significatur, vt quid; persona, vt quis; proprietas, notio, & relatio, vt quo.* Quia significatur, vt ratio, quia aliquid est tale. Cum vero dicimus, notiones esse in Deo, & abstracte esse concedendas, non asserimus in solo nomine manere, sed illis conceptum peculiarem respondere, vt proprium ipsarum vocum significatum. Quare aliter nominibus abstractis vtendum est, quam concretis ipsarum notionum, quia aliud est horum, & illorum significatorum, vt præcedenti capite vidimus, tamen si notio aliquando etiam in concreto significetur, vt, *ingenitum*, ob id tamen non sequitur, vt putauit Gabriel, quinque res in Deo esse concedendas. Cum enim dicimus quinque notiones, non quinque res, bûe realiter distinguuntur, sed quinque conceptus sola operatione intellectus diuersos esse, dicimus, sicut etiam dicimus plura attributa; hæc enim*

Damasc.

Hylarius.

Basil. Nazianz.

6.

August.

Basil.

Nyss.

7.

Damasc. Gregor. Alexand. S. Thom.

N

enim

enim nomina aliquid rationis significant, ut manifestum est.

8. Quomodo autem diuinæ simplicitati non repugnet hæc distinctio abstracti, & concreti, manifeste colligitur ex doctrina disputationis 11. cap. 7. ubi diximus distinctionem rationis nihil simplicitati diuinæ derogare, quia necesse est, Deum nostro modo intelligendi, ita varie concipi: ex hoc tamen in re ipsa nulla sequitur multitudo, & duplicitas.

CAPVT III.

Quæ prædicantur de notionibus.

Sententia
Canar.

Am vero cum probatum sit, utendum esse notionibus abstracte significantis ad personarum proprietates explicandas, reliquum est, ut videamus, quænam de illis prædicari possint. Canariensis in Commentario huius articuli parte 4. inquit, quædam esse prædicata significantia actionem, quædam non significantia actionem, sed attributum, aut proprietatem aliquam Dei: ex his autem quæ significant actionem, alia significare actionem essentiali, ut intelligere, velle, creare, gubernare, &c. alia notionalem, ut spirare, generare.

Prior regula
Canar.

9.

His præmissis, ponit duas regulas: Prior est, Nulla nomina significantia actionem, aut essentiali, aut notionalem, prædicantur de notionibus: idem hæc est falsa propositio, *Paternitas intelligit, aut generat, &c.* Reddi vero rationem, quia operationes non sunt formarum, sed concretorum & suppositorum: notionem autem significantem abstracte sunt formæ, vel significantur, ut formæ: ergo illis operatio tribui non potest.

Posterior
regula.

Posterior regula est, omnia nomina, quæ non significant actionem, prædicari possunt de notionibus abstracte significantis; quocirca hæc sunt veræ propositiones, *Paternitas est pater, paternitas est æterna, vel æternitatis.*

Ratio Canar.
non reijci-
tur, & red-
ditur alia
eiusdem.

Utraque regula mihi vera videtur, sed ratio prioris non probatur: quoniam de attributis in abstracto prædicantur aliquæ voces significantes actionem. Dicimus enim intellectus intelligit, sapientia sapit, & gubernat, voluntas amat, &c. Si ergo de abstractis hæc voces prædicantur, cum etiam de notionibus abstracte significantis prædicari non potuerunt voces significantes actiones notionales, vel alias actiones? Quare melior est alia ratio, quam Caietanus assignat in hoc articulo, & idem Canariensis sequitur: videlicet de abstractis prædicari posse voces significantes actiones, quoties abstracta sunt formalia principia earum, non tamen alio modo, & ita recte dici, intellectus intelligit, sed non, intellectus vult, misericordia misereatur, non tamen, misericordia punit: ipsis enim principijs formalibus operationum etiam abstractis tribuuntur suo modo operationes, tanquam principijs, quibus fiunt, aut eliciuntur, & hoc nobis solum significant illæ propositiones. Porro autem, quod modo intelligatur illud vulgare axioma, *Actiones sunt suppositorum, non naturarum*, dicemus in 3. partem quæst. 2. artic. 11. Cum igitur notionem non sint principia formalia operationum, siue essentialium, siue etiam notionum, nec, ut supposita significantur, fit, ut non possint voces significantes actiones de illis prædicari, quare cum recte dicamus, *Potentialitas generat*

Caietan.
Canar.

10.

generat, & spirat, dicere tamen non possumus, *Paternitas generat, aut, spiratio spirat*. Nam ut dicemus infra disput. 164. cap. 3. potentia generatiua, aut spiratiua plus quam relationem significat.

ARTIC. III.

generat, & spirat, dicere tamen non possumus, *Paternitas generat, aut, spiratio spirat*. Nam ut dicemus infra disput. 164. cap. 3. potentia generatiua, aut spiratiua plus quam relationem significat.

Sed circa utramque regulam obseruandum est, differentiam esse inter propositiones, in quibus prædicata significant actiones, & in quibus significant solum aliam formam: quod priores semper sunt intelligendæ in sensu formali, & in identico non possunt vlturpari, ut diximus etiam disput. 119. cap. 2. ideoque nunquam dicere licet, intellectus amat, & alia id genus. Posteriores vero accipi possunt, & sæpenumero accipiuntur in sensu, quem appellant identicum. Quomobrem concedimus eas, siue abstractum de abstracto, siue abstractum de concreto, vel contra prædicantur. Id autem significauit S. Thomas in hoc articulo ad secundum, cum ait, ea, quæ habent ordinem ad aliquem actum essentiali, vel personalem, non possunt prædicari de notionibus, quia hoc repugnat modo significanti ipsarum, ac si diceret, in sensu formali, in quo hæc propositiones semper accipiuntur, non posse nomina actionum de notionibus prædicari. Subdit S. Thomas: *essentialia vero, quæ non habent ordinem ad aliquem actum, possunt prædicari*. Possimus enim dicere, quod paternitas est æterna. Addit deinde, propter identitatem rei posse etiam dici, *Paternitas est Deus, & Deitas est Pater*, quia hæc propositiones accipi possunt in sensu identico, & non formali. Quid vero dicendum sit, si accipiatur in sensu formali, colligitur ex dictis in illa disput. 119. cap. 2. Addit Canariensis, hanc propositionem esse falsam, *Deitas est Sapientia*, quia prædicatum denotat actionem, quod si ita esset, vera esset eius doctrina. Sed, quia potest significare attributum sapientie, idem in sensu identico poterit de illa prædicari: concretum enim attributorum, sicut etiam essentialium, de abstractis notionibus formaliter non prædicantur, aliter enim ratio est de illa, *Paternitas est æterna*, cum enim æternitatis sit attributum consequens esse rei, & paternitas sit, & ita durationem habeat, recte dicitur in sensu etiam formali æterna. Ceterum de abstractis, & concretis iterum disput. 119. dicendum est.

ARTICVLVS III.

Utrum tantum sint quinque notiones in diuinis.

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod non sint quinque notiones. Proprie enim notiones personarum sunt relationes quibus distinguuntur. Sed relationes in diuinis non sunt nisi quatuor, ut supra dictum est. Ergo, & notiones sunt tantum quatuor.

2. Præterea. Propter hoc, quod in diuinis est una essentia dicitur Deus unus, propter hoc autem, quod sunt tres personæ, dicitur Deus trinus. Si ergo in diuinis sunt quinque notiones, dicitur quinquus. Quod est in conueniens.

3. Præterea. Si tribus personis existentibus in diuinis sunt quinque notiones, oportet

oportet, quod in aliqua personarum sint aliqua notiones duar vel plures, sicut in persona Patris ponitur innascibilitas, & paternitas, & communis spiratio. Aut igitur istae tres notiones differunt re, aut non: Si differunt re: sequitur, quod persona patris sit composita ex pluribus rebus. Si autem differunt ratione tantum, sequitur, quod vna earum possit de alia praedicari, vt dicamus, quod sicut bonitas diuina est eius sapientia propter indifferentiam rei: ita communis spiratio sit paternitas. Quod non conceditur. Igitur non sunt quinque notiones.

Sed contra. Videtur, quod sint plures. Quia sicut pater à nullo est, & secundum hoc accipitur notio, quae dicitur innascibilitas: ita à Spiritu sancto non est alia persona. Et secundum hoc oportet accipere sex notiones. Præterea. Sicut Patri, & Filio commune est, quod ab eis procedat Spiritus sanctus: ita commune est Filio, & Spiritui sancto, quod procedant à Patre. Ergo sicut vna notio ponitur communis Patri, & Filio: ita debet poni vna notio communis Filio, & Spiritui sancto.

Respondeo dicendum, quod notio dicitur id, quod est propria ratio cognoscendi diuinam personam. Diuinæ autem personæ multiplicantur secundum originem. Ad originem autem pertinet à quo alius, & qui ab alio: & secundum hos duos modos potest innotescere persona. Igitur persona Patris non potest innotescere per hoc, quod sit ab alio, sed per hoc quod à nullo est. Et si ex hac parte eius notio est innascibilitas. Sed in quantum aliquis est ab eo, innotescit dupliciter. Quia in quantum filius est, ab eo innotescit notione paternitatis: in quantum autem Spiritus sanctus est, ab eo innotescit notione communis spirationis. Filius autem potest innotescere per hoc, quod est ab alio nascendo, & sic innotescit per filiationem. Et per hoc, quod est alius ab eo, scilicet, Spiritus sanctus, & per hoc innotescit eodem modo sicut, & pater, scilicet communi spiratione. Spiritus sanctus autem innotescere potest per hoc, quod est ab alio, vel ab alijs, & sic innotescit processione. Non autem per hoc, quod alius sit ab eo: quia nulla diuina persona procedit ab eo. Sunt igitur quinque notiones. In diuinis, scilicet, innascibilitas, paternitas, filiatio, communis spiratio, & processio. Harum autem tantum quatuor sunt relationes. Nam innascibilitas non est relatio, nisi per reductionem, vt infra dicitur. Quatuor autem

Vazquez in 1. partem To. II.

tantum proprietates sunt. Nam communis spiratio non est proprietas: quia conuenit duabus personis. Tres autem sunt notiones personales, id est, constituentes personas, scilicet paternitas, filiatio, & processio. Nam communis spiratio, & innascibilitas dicuntur notiones personarum, non autem personales, vt infra magis patebit.

Ad primum ergo dicendum, quod præter quatuor relationes oportet ponere aliam notionem, vt dictum est.

Ad secundum dicendum, quod essentia in diuinis significatur, vt res quædam, & similiter personæ significantur, vt res quædam, sed notiones significantur, vt rationes notificantes personas. Et ideo licet dicatur Deus vnus propter vnitatem essentiae, & trinus propter Trinitatem personarum: non tamen dicitur quinus propter quinque notiones.

Ad tertium dicendum, quod cum sola oppositio relatiua faciat pluralitatem realem in diuinis, plures proprietates vnius personæ cum non opponantur ad inuicem relatiue, non differunt realiter. Nec tamen de se inuicem prædicantur: quia significantur, vt diuersæ rationes personarum. Sicut etiam non dicimus, quod attributum potentiae sit attributum scientiae: licet dicamus, quod scientia sit potentia.

Ad quartum dicendum, quod cum persona importet dignitatem, vt supra dictum est, non potest accipi notio aliqua Spiritus sancti ex hoc, quod nulla persona ab ipso. Hoc enim non pertinet ad dignitatem ipsius, sicut pertinet ad authoritatem patris, quod sit à nullo.

Ad quintum dicendum, quod Filius, & Spiritus sanctus non conueniunt in vno speciali modo existendi à Patre: sicut Pater, & Filius conueniunt in vno speciali modo producendi Spiritum sanctum. Id autem, quod est principium innotescendi, oportet esse aliquid speciale. Et ideo non est simile.

Conclusio est. Quinque tantum notiones sunt in diuinis personis, innascibilitas, paternitas, spiratio, filiatio, & processio, earum numerum colligit S. Thom. ex numero emanationum, quibus duæ personæ procedunt.

DISPUTATIO CXXXVII.

An præter quinque notiones alia sexta possit constitui.

Sextam notionem in Filio scilicet inspirabilitatem adstruit

Scotus, cap. 1.

Ratio Caietani, ob quam quinque notiones tantum debeant assignari, cap. 2.